

AD
INAUGVRALEM DISPVATIONEM
V I R I
S. REVERENDI EXCELLENTISSIMI
ATQVE CLARISSIMI
DOMINI
IO. PETRI MILLERI

GYMNASII HALENSIS NVPER RECTORIS MERITISSIMI

NVNC

AD ACADEMIAM GOTTINGENSEM VOCATI PROFESSO-
RIS THEOLOGIAE ORDINARII

QVAM

PRO GRADV DOCTORIS THEOLOGI
IMPETRANDO

AD D. XVII. SEPTEMBRIS

PVBLCICE DEFENDET

QVICVNQVE BONIS LITERIS ET INSTITVTIS
ACADEMICIS FAVENT

EOS INVITAT

D. IO. AVGVSTVS NOESSELT

THEOL. ORDIN. PROFESSOR ET FACVLTATIS THEOLOGICAE

H. T. DECANVS

PRAEMISSA DISPVATIVNCVLA

QVA

PAVLLINVM ILLVD:

ΑΛΗΘΕΥΕΙΝ ΕΝ ΑΓΑΠΗ

BREVITER ILLVSTRATVR.



H A L A E

LITERIS IO. IVSTIN. GEBAVERI MDCCLXVI.

53

AD
INVESTRATIONEM

REVERENDI EXCELLENTISSIMI
A. D. N. C. M. S. S. M. I.
D. O. M. I. N. I.

IO. PETRI MILLERI

PRO GRADU DOCTORIS THEOLOGICI

QUICUNQUE HONORIS LITERIS ET INSTITUTI
ACADEMICIS TAVIT

D. O. A. V. G. U. S. T. A. S. T. A. S. T.

THEOL. ORDIN. PROFESSOR ET FACULT. THEOL. P. R. O. F. E. S. S. O. R.

PRÆMISSA DISSENTIENS

P. A. T. R. I. I. V. M. P. I. N. I. M. I.
A. A. H. O. F. F. I. N. E. N. A. I. M. I. N. I.

H. A. L. A. E.

THEOLOG. IUSTIT. ORATOR. P. R. O. F. E. S. S. O. R.





Magnam sustinet ac valde grauem personam Theologus: qui cum sit voluntatis ipsius Dei O. M. interpres, debeatque Ecclesiam regere non mandatis, sed doctrina, consiliis et exemplo; si tueri illam personam cum dignitate velit, longe plura complecti debet, quam vulgus agnoscit aut illiberales animi sentire possunt. Namque cum religione ipsa nihil possit dignius esse vel accommodatius libertati naturae humanae, si quidem omnis violentiae expers, tota est in mente hominis voluntareque persuasionibus regenda; ipse tamen animus humanus nec ita sit acutus, vt quid verum rectumque sit semper videat, nec ita sui amans, vt veram rationem magis quam cupiditatum temerariarum fraudem sequatur; atque multa etiam religioni extrinsecus accedant, quibus vel impeditur rerum diuinarum cursus vel promouetur: quidquid a perfecto Theologo requiri potest, infinitis paene est ex artibus studiisque coniunctum. Est enim Theologo in primis Christiano cum philosophia vniuersa, tum scientia rerum plurimarum, quae vel ipsae diuinitus sunt patefactae vel earum cognoscendarum ac defendendarum adminicula quasi, comprehendenda, et magnus linguarum apparatus comparandus, quibus vel ad Scripturae S. doctorumque libros interpretandos vel certe ad omnium literarum ornamentum vtatur. Tum omnes animorum humanorum motus et quasi latebrae tenendae, vt, quibuscunque modis quisque opportunissime moueri possit et ad religionem cum voluptate amplectendam trahi, acutissime videat.



deat. Excutienda est etiam omnis antiquitas et scientia conuersio-
num, qui cognitioni humanae atque religioni contingere: qua de-
stitutus, vt de ignorantia historiae vniuersae bene CICERO dicit,
semper erit puer, non is qui sapientia sua temperare possit aliorum
infantiam. In quibus singulis si magna laus est ita profecisse vt
regnes: quantum hoc debet iudicari, si quis, non dicam haec om-
nia fuerit complexus, sed tamen eo contenderit, vt ab his vniuersis
disciplinis paratus reperiatur?

Iam etsi hoc permagnum est, tamen nec sola diligentia stu-
dioue acquiritur, nec, si plura alia adiuncta non fuerint in Theo-
logo, tantum, quantum posset ac deberet, profuerit. Etenim vt
nihil dicam de felicitate ingenii, iudicii subtilitate, amplitudine et
constantia memoriae, et illa, quam Graeci dicunt, ἀρχιολογία, quae
est, (vt locus classicus apud XENOPHONTEM *Κυβερταῖος*, I. 4, 3. do-
cere videtur), in quadam veri celeriter videndi aptissimeque profe-
rendi promptitudine: non minor est virtus in proponenda quam
agnoscenda veritate, vt subtiliter, perspicue, eleganter dicat, vt
discentium acuat ingenium, studium retineat, seque vel ad tardio-
res demittendo omnibus viam planissimam praemonstret, atque ef-
ficiat vt ad maiora semper sequenda concitentur. Quid dicam de
perfectione h. e. sanctitate animi et vitae, quae si adest, vel optime
dictorum vim frangere aut impedire potest; si ad illam doctrinae
elegantiam accesserit, multo plus etiam ipsa doctrina prodest, cer-
te omnibus dictis incredibilem vim addit; vt discentes, cum illud
quasi expressum diuinitatis exemplar intuentur, et hoc magis inci-
pian doctrinam amare eam, cuius tantam vim sentiunt ad bene
beateque viuendum, et verissimo vitiorum odio atque virtutis amo-
re incendantur. Quae omnia si in unam fuerint personam con-
iuncta, haud scio an quisquam sit hominum unquam, qui cum tali
doctore comparari aut generi humano magis prodesse possit.

Enimuero harum omnium siue virtutum siue studiorum siue
facultatum magistra est et, vt ita dicam, moderatrix, prudentia,
quae

quae est in recto harum rerum vſu et ad commoda hominum quaedam quali accommodatione. Cuius prudentiae Theologicae vim nemo, mea ſententia, accuratius expreſſit PAVLLO Apoſtolo, cum ad Ephes. III, 15 commendat το: ΑΛΗΘΕΤΕΙΝ ΕΝ ΑΓΑΠΗ, de quo breuiter diſputare conſtituimus, vt intelligatur, qualis hac ex parte Theologus debeat eſſe.

Sunt autem iſtius prudentiae partes omnino duae, vna in veritatis cognitione ac ſtudio, altera in amore. Nam primum *ἀληθεύειν* eſt eorum, qui id, quod verum eſt, ſectantur. Quod cum ita dicatur, vt, vel ſit in conſenſu cognitionis noſtrae cum ipſa rerum natura, vel in officio h. e. in animi et actionum conformatione ad leges, vt in illo *Horatiano* Epist. I, 7. 98: Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede *verum eſt*, et ſexcentis in locis ſacrae Scripturae: ſunt, qui hanc poſtremam ſignificationem amplectantur; quamquam nonnullis magis placuit anguſtior ſignificatio, vt *ἀληθεύοντες ἐν ἀγάπῃ* vel ſint *ſincere amantes*, quod BEZAE, GROTIIO et aliis clariffimis interpretibus viſum eſt, vel qui *vera loquantur*, id quod DRVSIVS arbitratur contrarium eſſe *τῆ κυβεία καὶ πλάνῃ*, cuius mentionem PAVLLVS V. 14 fecerat. Quas interpretationes etſi video nequaquam a loquendi conſuetudine abhorre: tamen magis inclinatur animus in primum ſenſum, vt de eius quod proprie verum dicitur ſ. de recta cognitione intelligatur; propter ea quod Apoſtolus *τὸς ἀληθεύοντας* perſpicue diſiungit ab iis, qui (V. 14) erant *νήπιοι, κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι πάντι ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας, ἐν τῇ κυβεία τῶν ἀνθρώπων, ἐν πανουργίᾳ, πρὸς τὴν μεθοδεύαν τῆς πλάνης*. Quae verba declarant etiam quales debeant *οἱ ἀληθεύοντες* eſſe, praefertim Theologi, quos multo magis quam Chriſtianos ceteros oportet hac virtute ornatos eſſe, cum ſint, vt ait PAVLLVS (V. 12), conſtituti *πρὸς τὸν καταρτισμὸν τῶν ἁγίων, εἰς ἔργον διακονίας, εἰς οἰκοδομὴν τοῦ σώματος τοῦ Χριστοῦ*. h. e. vt ſancti capiant incrementa, vt ſint qui munere miniſtrorum (Euangelicorum) fungantur, vt creſcat corpus Chriſti *).

A 3

Nempe

*) Ita quidem interpretor verba. **Ἔργον διακονίας* pro munere Eccleſiaſtico eſt
2 Tim.



Nempe primum vult PAVLLVS, ne simus *νήπιοι, rudes*; quod hic non tam videtur de *ignorantia* dictum, quam de imbecillitate nec satis firma doctrina: nam h. l. contrarii sunt *νήπιοι τοῖς τελείοις* v. 13, et consentiunt quae sequuntur: *κλυδωνιζόμενοι καὶ περιφερόμενοι παντὶ ἀνέμῳ τῆς διδασκαλίας fluctuantes et quouis doctrinae vento agitati*, h. e. instabiles, qui se patiantur auferri quibusuis hominum decretis. Quae verba perspicue docent *primum* nihil esse in doctrinis Christianis temere admittendum, sine recta ratione et firma, quae animum non sinat de veritate diuina dubitare; *deinde* cauendas in primis esse opiniones humanas, quales tum erant Iudaeorum, eam defendentium necessitatem obseruandarum Iudaicarum consuetudinum, vt omnibus negarent spem sortis inter beatas animas obtinendae, qui ad Ecclesiam Christi, non Iudaico more initiati, accessissent; Ebr. XIII, 9. appellat *διδασκαίᾳ ποικίλαις καὶ ξέναις. varias et nouas doctrinas*, quibus non oporteat Christianos circumagi, *περιφερόσθαι* *), sed gratia h. e. doctrina de gratia Dei cuiuscunque generis hominibus destinata, non solis Iudaeis, firmari. Quo praecepto nihil fingi potest sapientius. Nam quem ad modum ii, qui gubernacula tenent in naui, vitiosissimi sint et quouis poena digni, cum illo gubernaculo non recte regendo nauim sinant incerto cursu ferri: sic Theologis, quibus est cura Ecclesiae in primis commissa, nihil est turpius, cum ipsi neque tenent certam

viam

2 Tim. III, 5. et Phil. I, 22; nec est vila alia interpretatio aptior ad cetera verba. *Σῶμα Χριστοῦ* Ecclesia est. coll. Eph. I, 23. *Ὁικοδομῆν* conuerti ad sensum; nam dicitur de quouis incremento, eoque quod prodest, (cuius significationis clara interpretatio est 1 Cor. X, 23.) per doctrinam in primis, vt 1 Cor. XIII, 3.

*) Sic plane ibi legendum, non: *περιφερόσθαι* cum quibusdam codicibus, etsi id videbatur in prolegomenis MILLIO §. 887, itemque BENGELIO et WETSTENIO ad h. l., graecitatis in delectu lectionum parum curiosis. Nam et in nostro loco plane simili omnium consensus librorum *περιφερομένων* confirmat, et *περιφερόσθαι* foret a *recta via* abduci, sed τὸ: *βεβαιώσθαι* requirit vt Apostolus non tam de defectione a vera doctrina, quam de doctrinae *in-bilitate* loquatur, quae est in *περιφερομένους*.



viam et rationem, neque sequuntur. Est autem vna stabilis doctrina, quae vere a Deo venit, humana omnia incerta; id quod ipsae doctrinae Christianae conuersiones confirmant. Nam si quis recte consideret doctrinas eas, quae in Theologia multas vicissitudines tempore procedente expertae sunt, reperiet omnem illam instabilitatem esse in opinionibus humanis, quae, vt sunt ingenia hominum diuersa, atque opiniones ipsae perpetuo quodam in fluxu, effecerunt, vt cum ipsae mutarentur, ipsa quoque Theologia aliquid contagionis traheret. Quare id vnum maximum semper vrget in scripturis sacris Deus: vt hunc audiamus, quem misit ille, Christum, qui et ipse iubet (Matth. XXIII, 8) ne magistros sequamur, si quidem vnus sit *ὁ καθ' ἑαυτοῦ ἡμῶν, ὁ Χριστός*, cuius etiam pretiosissimo sanguine redempti sumus, vt non oporteat nos, quemadmodum PAVLLVS ait (1 Cor. VII, 23): *hominum mancipia fieri*. Quò magis mirari debemus: esse inter Christianos, et vero etiam Euangelicos ipsos doctores, qui tantorum diuini magistri nostri praeceptorum immemores, non modo ipsi in patrum doctorumque suorum decretis quasi per manum traditis suauiter acquiescant, sed nec ferant maiorem aliorum diligentiam, et vel conquerantur de eorum impietate scilicet, qui, sintne haec, quae didicerunt, etiam consentientia sacris scripturis? quaerere eademque ad illam vnicam fidei regulam examinare incipiunt. Quos ego querulos arbitror misericordia dignos esse, si per imperitiam aut nescio quem metum periculi religioni imminenti, non possint iudicare liberalius; quamquam bene fecerint, si bona fide explorauerint sese: sitne forte aliquid etiam huius inuidientiae, ignauiae tribuendum aut superbiae, quae vitia valde sunt animis humanis inimica? Sed liceat tamen quaerere duo, ad quae me PAVLLI verba duxerunt. *Primum: existimentne, iamdudum peruenisse Ecclesiam ad unitatem fidei, ad virile robur, ad iustam quasi staturam templi Christi, vt Apostolus loquitur v. 13? Quod si ita esse dixerint, quaero: quo modo id dicant? LVTHERVM quidem et alios magnos eius similes vires saepe video conqueri, se et infinita negotiorum multitudine et subsidiorum pauperaate et ipsa breuitate vitae impeditos, quo ini-*

nus



nus multa meliora fecerint. Ac si eos non dubitandum est prudentissime Ecclesiae prospexisse, quidni credibile sit, istos vidisse multa, quae ferri nondum posse animaduverterint ab ingenis iis, quae vix e dominationis Pontificiae aut scholasticae barbarici tenebris ad claram Euangelii lucem emerferant. Porro cum quidquid hic videmus, tanquam in speculo videamus, cum ipse Deus ab ultimis vsque temporibus hac via vsus fuerit vt ad verum intelligendum sensum homines adduceret, nec vlla sit vnquam disciplina, quin procedente tempore noua incrementa capiat: vnum Theologiae studium nihil profecerit? nihil ne per nouas pugnas quidem et callidissimos impetus aduersariorum? nihil adiuerint Christianam rem ii, qui, vt hoc vtar, per nouitias de religionis Christianae veritate controuersias, multa noua luce perfuderint? Quodsi autem maiora in Ecclesiam incrementa semper cadant, patiantur tamen nos illo post messem spicilegio frui, nec Judaizantium more impediunt perfectionis Christianae cursum. Addimus quaestionem alteram: Si Deus cuique pro sapientissimo arbitrio suo, facultates dedit eas, quibus alii carent, vt, quem ad modum PAVLLVS loquitur v.16: *vniversum (Ecclesiae) corpus coniunctum et copulatum per diuersas commissuras inter se adiuuantes, PRO MODO CUIVSQVE PARTIS, crescat et proficiat*: nec est credibile, Deum nostrae aetati minus de his facultatibus prospexisse, quam superiori temporis, quin fateri quemlibet oportet, longe etiam plus plerisque in disciplinis nostros profecisse maioribus nostris; quid est causae, cur vel in Theologia sola nihilo plus videamus? vel illi non velint concedere vsum bonorum, quae Deus liberaliter concessit? Cum ii, qui in Romana Ecclesia, inter deorum cultores multos ad suam traduxerunt, apud illos pro idolis substituerent sanctos suos, fuerunt, qui dicerent; vnum genus commenticiorum deorum cum altero commutatum fuisse. Quid eos putamus dicturos cum viderint nos, quorum confessores veterem doctrinam postulabant ad vnicam verbi diuini regulam examinari, quique ipsi illis coecum in maiorum decreta amorem exprobramus quotidie, eiusdem vitii reos reperiri, vt vnam pro altera humanam dominationem substitueremus?

Hic



de Hic quo modo possem continere indignationem animi mei, cum audiam quosdam veteris inscitiae patronos vociferari: nimiam esse diligentiam virorum doctorum in conquirendo sensu sacrarum literarum, nec tantum studium ponendum esse in literis vel Ebraicis vel Graecis, quibus sacrae scripturae oratio illustretur. Quasi nimia posset esse diligentia qui verbo diuino tribuatur? aut quasi alia esset via ad sensum eius reperiendum, quam diligentissimum studium linguarum, quibus sacri libri conscripti fuere? Sed ita me pudet huius imperitiaene dicam an impudentiae? et ita despero de huius modi ingeniis sanandis, vt verbum non addam aduersus hos, qui, cum non agnoscant beneficia diuina nec curent, vix digni sunt, in quibus emendandis tempus et opera perdat.

Reuertamur ad Theologum, quem PAVLLVS formare instituerat, quemque vult esse munitum aduersus *κωβείαν τῶν ἀνθρώπων καὶ πανουργίαν πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης*. h. e. *praestigias hominum et versutiam ad alios callide auferendos compositam*, quo docet Apostolus: non hoc satis ad Theologum esse, vt ipse, quid verum sit, recte et subtiliter cognoscat, idemque tradat aliis; sed vt peritissimus sit *artium* et captiosarum siue quaestionum siue argumentorum, quibus aduersarii rectae doctrinae ad eam labefactendam vtantur, et ad istos scienter conuincendos vt paratissimus ita aptissimus quoque. Quod longe maioris artis et doctrinae est, quam vulgus putat. Etenim vehementer falluntur, qui credunt: omnia compendiorum vel systematum elencticorum angustis, vel, si quis ad maiora cognoscenda progressus fuerit, eorum libris contineri, qui contra singulos siue errores siue haereses scripsere. In quibus etsi iniquus essem nisi multa praeclare apteque dicta agnoscerem: tamen et ipse edoctus sum et peritos mecum consentientes habeo: *primum* quasdam dissentientium vel doctrinas vel argumenta sic esse proposita, vt a mente eorum valde abhorreant; quod siue imperitia quadam factum sit (quotusquisque enim, hodie in primis, vel praecipuorum dissentientium libros excutere solet?) siue commotione quadam animorum, quae vel acutissimorum oculis magnas saepe tenebras offundit et aequissimos alias iudices paullo duriores aut iniquiores,

B

res,



res, certe suspiciosos aliquantulum reddit: tamen non modo ab amore alienum est, quem vel inimicissimis debemus, sed etiam a veritate, quae nec ita in lucem protrahi potest, et facit vt, cum alii id senserint, incipiant fauere erroribus ac de caelesti veritate dubitare. *Deinde* ut semper existant inter aduersarios, qui nouis coloribus suos errores ornare et quasi acuere, vel conuicti mitigare quodam modo student: nouis semper studiis opus est, ne ab vlla parte non munita recta doctrina reperiatur, vel obtineant aduersarii id posterioribus curis suis, quae prioribus non potuerunt. Quibus rebus efficitur, vt qui Theologi nomen cum dignitate tueri velit, ipsos dissentientium libros, dogmata et artes cognouerit, et accurate teneat historiam, et conuersiones doctrinarum, earumque causas, vt, quibus e fontibus manauerint, quas induerint formas, qualem cum ceteris erroribus coniunctionem ac periculum habeant, quibus artibus vel defensi vel labefactati sint, et quae sunt generis eiusdem, subtiliter iudicare possit. Quod quidem et hactenus profuerit, in quo magnam arbitror partem esse doctae prudentiae, vt non tam per suas sententias siue decreta cupiat aduersarios oppugnare, (quod plerumque est iudicem sedere in causa sua,) sed aduersarios vrgeat ipsis eorum domesticis decretis, iisque et ea, quae ipsi contorserunt, laqueorum quasi tormenta admoueat, et verum loquendi vsum scripturae sacrae, cuius auctoritatem ipsi agnoscunt, *deuarrigēntes* demonstret, quod incredibile dictu est quantum plus valeat omnibus siue Theologorum siue Philosophorum decretis, quibus calliditas ingenii semper habebit quae obiciat. Meum quidem animum saepe subiit cogitatio, quid sit, quod, cum tanti hac in causa seu artificio magistri sint CHRISTVS et eius Apostoli, in primis PAVLLVS, iique ad ingenia et scita sui temporis vel eorum, quibuscum disputabant, ita sapienter accommodauerint disputationem suam, vt *et* ea praecipue tractauerint, quae *tum* sub disputationem cadebant, *et* ipsis aduersariorum armis exagitauerint istos: tamen paucissimi inter Christianos doctores hac in re eorum sapientiam imitentur.



At illud siue studium siue eam intelligentiam siue declaratio-
nem veritatis oportet esse ΕΝ ΑΓΑΠΗ h. e. *cum amore coniunctam*.
Qui locus latus est ad disputandum in primisque fructuosus, sed eum
vix paucis attingere possumus propter disputatiunculae nostrae an-
gustias, et erit forte commodior de ea re alibi dicendi occasio.
Breui me expediam. Nempe videtur haec admonitio, praecunte
ipso PAVLLO, duas quasi partes complecti, vt et aequitatem, iusti-
tiam, lenitatem ac misericordiam sequamur, et in proponenda de-
fendendaque veritate ita caute versemur, vt non plns detrimenti
quam adiumenti capiat res publica Christiana. Ac illum amorem,
qui est in aequitate et lenitate, ubique commendat Christus cum
suis Apostolis ita studiosè quidem, vt hanc dicant notam esse debe-
re, qua veri Christi discipuli agnoscantur (Io. XIII, 35), vt nemini
spem faciunt obtinendae misericordiae diuinæ, a qua toti pendem-
us, nisi qui et quatenus eandem aliis tribuerit (Matth. VI, 12. 14.
15 seq.). Jam iste amor, qui esse in Theologo debet, in primis
hanc vim videtur habere: *primum*, vt veritatem diuinam propaga-
re, errores expellere studeat, non vna auctoritate vel sua vel alio-
rum, sed sacrae scripturae, quam vnice regnare oportet, sed argu-
mentis, sed persuasionibus accommodatis facultati eorum, cum
quibus res est. Neque enim quisquam veritatem ac pietatem eam,
quam religio Christiana animis vult hominum ingerere, complecti-
tur temere aut seruabit, nisi quantum in ea insit boni, perspexerit;
sed *οι βιαδέντες, ως αφαιρέδέντες, μισῶσιν οι δὲ πειδέντες, ως νεχα-
ρισμένοι, φιλέσιν*, vt praeclare loquitur XENOPHON in pulcherrimo
loco ἀπομνημονευμ. I, 2. 10. Neque Deus vult auctoritatem huma-
nam in causa religionis admitti, suam negligi; nec quisquam ho-
mo, quantus quantus sit, est ab errandi periculo immunis aut im-
perare aliorum conscientiae debet, quod, vt est tyrannorum, ita
summa cum iniuria in Deum, qui vnus est Dominus noster, con-
iunctum (Rom. XIV, 4. 7. seq.) Accedat huic vni officio *alterum*,
vt, si Theologus viderit a se dissentire alios nec si cū ratione vlla
posse, nunquam, nisi manifestam impietatem prodiderint, male de
animo vel salute eorum sentiat, vt qui cogitare debet: diuersam
esse



esse in diuersis hominibus veritatis et recte factorum conscientiam, id quod PAVLLVS vehementer vrget ad Rom. cap. XIII. et ipse Christus Luc. VIII. 49. 50: nedum istos vel odio vel vi prosequatur, quod est a Christi disciplina longe alienissimum (Luc. VIII. 55 56.) vel diceris aut nominibus ad inuidiam et contumeliam adhibitis, quod crimen, mea quidem sententia, saepe est ipsa vi aperta grauius, cum bona fama vel ipsa vita optabilior sit et omni paene fructu apud alios priuet ea, quae tamen in errante quouis bona sunt.

Ab hac vna parte amoris non oportet seiungi alteram, quae est in caute vsurpanda vel declaratione veritatis vel defensione. Quam virtutem et necessariam et ipsius etiam amoris in alios esse, facile agnoscent, quicumque perpenderit, PAVLLVM Apostolum hoc saepe amori tribuere, vt etiam nos ab iis, quae recta sint, cohibeamus, si quidem ea aliis plus detrimenti afferant quam vtilitatis (V. e. c. 1 Cor. VIII. Rom. XIII. cet.). Quo quidem ego retulerim: vt Theologus diligenter videat: ne non modo quadam salutari doctrina vmquam alios fraudet eamue negligentius tractet, sed neque, nisi opportunissime, ignorantiam aut errorem leuiorem auferat, quo sublato apud quosdam viderit illarum grauiorum doctrinarum certitudinem aut magnum ad animi probitatem incitamentum tolli. Vt porro videat: satiusne sit: quorundam aduersariorum impetus silentio vlscisci suo atque clam impedire, ne latius serpent contumeliosi in diuinam veritatem libelli, quam suscepta controuersia imprudenter parefacere, quae, nisi contra ea declamasset, mox ipsa cum his libellis periissent. Et, si repererit necesse esse, vt aliis a dubitationibus erroribusque caueatur, saepe animaduernerit commodius esse nec tanto cum periculo coniunctum remedium, in proponendis rectis doctrinis paucis verbis adiectisque obseruationibus huiusmodi dubitationes praeuerrere, quam iis latius explicandis imperitorum imprudentem curiositatem mouere. Atque vel propter hoc ipsum periculum multisque aliis de causis diligenter discernet, quae sint tironum quaeque perfectiorum, ne vel argutiis vel spinosis captiosisque disputationibus et tempus perdat, et bona in-

genia

genia deleat, et veritatis, quae ad pietatem debet ducere, vel vim frangat in animis vel amorem labefactet. Idemque bene memor eiusdem periculi, magnique discriminis, quod est inter eos, qui veritatem produnt et ore laudant, mente animoque nequaquam consentiente, et alios qui tacent et veritatis professionem remittunt commodiori tempori, cauebit ne veritati plus noceat intempestiva commemoratione quam profit. Omnino si quis Theologus hoc apud se, vt oportet, statuerit: imitandam esse in primis IESV CHRISTI, Domini nostri et eius Apostolorum diuinam in docendo sapientiam, et ea reperiet Theologi esse quae dixi et quid quacunque in re ac tempore optimum sit factu, facile videbit.

Sed huius Theologicae prudentiae, praeter cetera eximia merita, multa iam documenta edidir, et, vt certo speramus, longe plura etiam, Deo adiuuante, dabit Venerandus atque Clarissimus Vir IOANNES PETRVS MILLERVS, A. M. et Gymnasii Halensis Euangel. Luth. meritissimus nuper Rector, nunc ad academiam Georgiam Augustam, quae Gottingae est, vocatus Theologiae ordinarius Professor. De cuius laudibus quo minus hic ego ipse dicam, et verissima Viri modestia et amicitia impedit, qua mihi per omne, quo apud nos fuit, tempus, coniunctissimus fuit. Nec est id quidem necesse, cum illustriorem habeat etiam apud externos commendationem a praeclaris et elegantissimis scriptis, quae magno cum applausu exceperunt, apud nostros multo magis etiam a doctrina, probitate, fide et comitate singulari, per quas virtutes, etiam ereptus nobis valde inuitis, apud nos semper viuere. Sed eum de vita sua breuiter narrantem audiamus:

Aegyptios, memoriae proditum est a Diodoro Sic., vita defunctos non prius terrae mandasse, quam tota illorum vita et exposita, et incorruptis a iudicibus seuerè examinata fuisset. Iam cum vita ipsa et humanae societatis commoda, maxime si ad ea promovenda iniqui aliquo beneficio provocemur, sepultura longe sint maiora: docere multo magis quisque debet utroque se hucusque non omnino indignum praestitisse. Quod dum adspirantibus ad gradum aliquem honoris declarandum sit ex lege et more majorum, agam



ego quidem id, ut debeo, verecundissime, (nihil enim singularis ab homine, qui fere omnem aetatem in pube formanda consumserit, expectatur) id tamen doleo, reticere ea debere, quae nimirum sunt maxima, quibus videlicet modis indulgentissimum numen animum sensim sensimque instruxerit, ut vitam agere meliorem et homine, eoque christiano non indignam, adfueret: nisi enim haec, profecto non alia vita vera est censenda, atque adeo nec haec, quae spiritu ducitur, variisque et magnis fortunae vicissitudinibus continetur. Sed quoniam mea quidem vita paucis lineis potest describi, non sicut per ambages in tam angustum curriculum deducendi lectores.

Natus autem A. C. cIoIcccxxv. a. d. XXVI Apr. Leiphemii, quod agri Ulmani ad Danubium fl. oppidum est, patre usus cum a blanda gravitate, tum a fide in sacro munere obeundo bonis omnibus caro, M. IO. MARTINO MILLERO, in summo Ulmensium templo verbi divini praecone inde ab anno saeculi XXXI. Cujus mihi tanto sanctior jure meritoque suo debet esse memoria, quanto majoris et sumtus et molestiae erat, in numerosa prole liberaliter educanda nulli rei, in publici vero officii amplitudine nulli curae parcere. Sed videlicet in tam sancta cura egregie adjuvabatur desideratissimus parens ab optima matre, MAR. MAGD. RAUSCHEMEIERIA, quae ipsa comi illa sua et spirante pietate assiduisque precibus sacrum quandam sensum suis, quos adeo amaret, blandissime insinuabat. Qua domestica disciplina frugali et pia ad rectum morem vix dum paullulum formatus, tradebar puerulus magistris ea aetate in Gymnasio Ulmensi cives ingenuis literis imbuentibus. Quorum in disciplina, cum amor doctrinae paulatim cresceret, edito specimine, eorum numero adscriptus fui, qui philologicis philosophicisque studiis in scholis Professorum ad universum litterarum cursum in academico stadio decurrendum, rite solent praeparari. In his vero de me optime meritis doctoribus, maximo meo bono et ad honestissima quaevis studia hortatorem, et ad rectam viam ineundam ducem expertus sum patrum Ven. IO. PE. MILLERUM ingenii monumentis et in patriam meritis virum excellentissimum. Quo moderatore certaminis, cum scriptam ab eo dissertationem utcumque defendissem, deliberare pater de aequanda litterarum universitate, Quare A. O. R. S. XLVI. Helmstadium germano fratre comite, petebam, MOSHEMIANI maxime nominis amore ductus. In hoc autem clarissimum stadium vix ingressum, terrebat tristissimus de inopino optimi patris obitu nuntius, et retardasset etiam juvenem, nisi praesens DEUS jaentem erexisset cum animi interno solatio, tum etiam junctis MOSHEMII et HAE-BERLINI in me adjuvando communibus studiis. Et ille quidem laude omni major vir, admittere me in illam tot operum officinam, immo mox, qua carius ipsi nihil erat pro indulgentissima sua natura, generosae proli ad omne decus formandae praeficere, ac Goettingam A. XLVII. tamquam fidus novum et beneficum, cursum dirigens, comitem habere, dignabatur. In qua litterarum omnium universitate et mercatu illustri recula mea aucta, post varias exercitationes cum in cathedra, tum in Seminario philologico adhibitas, GEOR-

GIO

GIO II. cum anlas proceribus in Georgia Augusta sua A. XLVIII. praesente, a summo viro, IO. MATTH. GESNERO, fautore ac praecceptore meo, honores Magistri liberalium artium, conscripta ac disputata a me dissertatione publice obtinui. Cui cum adderem paullo post aliam, suadentibus patronis, ut et ipse docendi facultatem experirer aut mihi compararem, scholas tam super delectis N. T. partibus, quam super filo latino commilitonibus aperiebam. Sed non ita multo post alius campus, in quo me exercerem patebat, scholasticus videlicet, quo intra XVI. annos decurso, numquam me poenitebit, ingressum me eum fuisse. Scholae eum Helmstadiensi Ao. L. praefectus totum me publi scholasticae ad pietatem omnemque humanitatem formandae consecrabam, biennio vero post auctoritate SEREN. DUCIS BRUNSVIC. etiam Orphanotrophei inspiciendi cura in me suscepta. Quibus curis ita vacabam, ut suavior in dies mihi fieret Helmstadiensis commoratio atque ipse dubitarem, ullane tam probabilis causa esse queat, quae me ex convictu tot carorum hominum ereptura sit? Contigit tamen, ut post difficiles ancipitesque deliberationes A. Saec. LIV. dulce Helmstadium cum Hala nostra commutare et Rectoris Gymnasii Lutherani vices huc usque ita obirem, ut spectatissimorum Ephorum studiis benevolentissimis, Collegarum autem conjunctissimorum mutuo et amore et labore ita fuerim adjutus, ut varias illas, quae mihi intra hos XII. annos oblatæ sunt aliunde, honestissimas condiciones constanter detrectarem, et civitati mihi merito carissimæ totum me addicere decernerem. Intercessit tamen proxime huic consilio ipsa, quod ex argumentis minime dubiis colligere debebam, divina providentia, inique sublimiori studiorum generi quantumque est vitæ, consecrare voluit. Dulcissima igitur Hala tot que carissimis mihi merito capitibus valere iussis, Goettingam migrandum est cum sarcinulis.

Addam, quoniam id iussus sum, ad calcem libellos a me vario tempore elucubratos. Et *Goettingæ* quidem cum adhuc essem, bibliopola Hamburgensis opellam meam in paranda collectione atque editione Moshemianorum libellorum, latina et vernacula lingua a summo ingenio exaratorum desiderabat, cui ita parui, ut nullam a me, omnem ab auctore suo commendationem editæ illæ in lucem commentationes haberent. Exposui quidem in latina parte, dum praefandum aliquid, quod operæ pretium esset, fuit, quaedam de spe novorum ad propagandam civitatem Christi inter Americanas ceterasque a litterarum luce relictis gentes, miraculorum. Verum, ut hanc opinunculam mitterem, Ill. MICHAELIS opposita meis argumenta effecerunt.

Quae deinceps Helmstadii actuum scholasticorum solemnitati quasi praecinens, scripsi, non tanti sunt quae hic commemorentur. Neque lectorum scire intererit Hallensium programmatum nomina, praesertim cum germanice exarata uno volumine complexus sit Gebauerus meus; *die Schule des Vergnügens* inscripto. Addent, quibus placet, *Compendium Moshemianarum*
 si-



stitutionum H. E. a me conscriptum. Libellis, quibus rubrum hoc aptissimum esse putabam: *Historisch moralische Schilderungen zur Bildung eines edlen Herzens in der Jugend*, item *Chrestomathia* Lat. haud omnino infeliciter juvenili aetati prodesse volui. Iam vero totus in hoc sum, ut affectum a *Moshemio ethicae* S. opus a me non profus male perficiatur. Sed jam satis de me. Id unum ergo addam, quod ingratus essem, nisi in maximis divinae providentiae beneficiis ponerem, inde ab an. LVI. me thori et vitae sociam, merito mihi suo carissimam, habere SOPH. CHRISTI. b. WEYGANDI, Senatoris et Bibliopolae olim Helmstädiensis, bene de bibliotheca meriti et conspicuae probitatis viri filiam natu maximam.


Hactenus MILLERVS, cui a nobis discedenti et petenti a Collegio nostro honores DOCTORIS THEOLOGI, ordo noster eos L. M. Q. decreuit; istique sollempnitati dictus est dies XVII. Septembris. Quam ut frequentia sua ornent PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS, PERILLVSTRIS EIVS DIRECTOR CVM SPECTATISSIMO ACADEMIAE SENATV, et, si licet ita rogare, SERENISSIMVS PRINCEPS ANHALTINVS, itemque EXHEROVM liberali ordine et amplissimo HVIVS CIVITATIS SENATV, ILLVSTRISSIMIS COMITIBVS et ACADEMIAE CIVIBVS vniuersis quicunque bonis literis et Candidati dignissimi memoriae fauent, vehementer atque ita rogamus, ut non dubitemus, omnes bonos vota facturos esse, ut ea res vniuersae rei publicae felix, fausta atque salutaris sit. P.P. in academia Halensi die XVI. Septembris
A. C. MDCCLXVI.




153516

X 2310927

R





AD
INAUGVRALEM DISPUTATIONEM
VIRI
S. REVERENDI EXCELLENTISSIMI
ATQUE CLARISSIMI
DOMINI
IO. PETRI MILLERI

GYMNASII HALENSIS NUPER RECTORIS MERITISSIMI

NUNC

AD ACADEMIAM GOTTINGENSEM VOCATI PROFESSORIS
THEOLOGIAE ORDINARIJ

QVAM

PRO GRADV DOCTORIS THEOLOGI
IMPETRANDO

AD D. XVII. SEPTEMBRIS

PVBlice DEFENDET

QVICVNQVE BONIS LITERIS ET INSTITVTIS
ACADEMICIS FAVENT

EOS INVITAT

D. IO. AVGVSTVS NOESSELT

THEOL. ORDIN. PROFESSOR ET FACVLTATIS THEOLOGICAE

H. T. DECANVS


PRAEMISSA DISPUTATIVNCVLA

QVA

PAVLLINVM ILLVD:

ΑΛΗΘΕΥΕΙΝ ΕΝ ΑΓΑΠΗ

BREVITER ILLVSTRATVR.



HALAE

LITERIS IO. IVSTIN. GEBAVERI MDCCLXVI.

